



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. XXVII. An creaturæ existentes seu futuræ videantur, vel videri
possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

quod intendatur precise non intelligitur extendi ad proximum, vel ad aliquid aliud, sed solum circa id perfectius versari.

21. *Alterum responsum.*

Aliter ergo dici potest, hoc provenire ex perfectiori entitate specifica visionis. Sed hoc supra reiectum est: melius ergo attribuetur hæc diversitas diversæ entitati individuali ipsius visionis, etiam si indivisibilis sit, quia sicut vnus intellectus perfectior est, quam alius, non ex maiori intensione, sed ex maiori perfectione individuali: sic intelligi facile potest de visione. Atque idem consequenter dicendum est de lumine, quia principium accommodatur suo effectui. Et similiter dicendum est de specie: nam datur iuxta perfectionem luminis, seu diuina essentia accommodat suum concursum per modum speciei; iuxta exigentiam luminis. Atque eadem ratione licet fieri possit, vt duæ visiones repræsentent ditterios effectus; & quod in perfectione, omnibus pensatis, æquales sint, totum hoc referendum est proxime in diuersam perfectionem entitativam ipsius visionis: nam vna ex natura sua habet repræsentare Deum hoc modo: altera vero aliter. Est autem hæc sufficiens ratio, quia vnæque forma natura sua habet determinatum suum effectum formalem. Aliqui vero, cum non habeant, quid contra hanc diuersitatem individualementem obijciant, dicunt, illam esse commentitiam, & nunquam in qualitatibus inueniri. Sed re vera non ita est, nam in qualitatibus respicientibus obiecta est frequens distinctio, vt visiones Petri & Pauli differunt in repræsentatione obiectorum, plusquam duæ visiones numero distinctæ eiusdem persone: & sic de alijs, in præsentem vero licet obiectum primum idem sit: tamen diuerso modo magis, vel minus claro, & perfecto concipitur, cum coniunctione ad vnum obiectum secundarium, quam ad aliud, & hoc factis est, vt visiones individualiter distinctæ, natura sua habeant illam diuersitatem in suis effectibus formalibus.

22. *Civilianum.*

Atque hinc primo intelligitur, falsum esse, quod Scotus & alij dicunt, fieri posse, vt stante eadem visione, & in entitate inuariata manente, nunc per illam videantur istæ creature: postea alia: quia Deus est speculum voluntarium: patet enim ex dictis hoc non esse possibile, cum præsentatio illa sit naturalis in genere causa formalis, & per modum actus secundi, & ultimi. Nec Deus dicitur speculum voluntarium, quia per quamcumque visionem possit manifestare, quæ voluerit, non enim potest priuare formam suo effectui formali, manente illa in subiecto, nec etiam potest proprius effectus formalis vnus formæ fieri per aliam, natura sua habentem distinctum effectum, siue individualem, siue specificum, quia seruata proportione eadem est ratio.

23. *Alterum Civilianum.*

Colligitur secundo, non posse illam visionem recipere variationem in ordine ad creaturas possibili, quin recipiat in ordine ad Deum. Cuius contrarium sentiunt alij auctores, quia actus potest variari in ordine ad obiectum secundarium, licet non varietur circa primum. Haberet autem hoc locum aliquo modo, si obiecta illa tantum concomitantur viderentur. At supposita superiori doctrina, id dici non potest. Ratio est, quia per illam visionem videntur creature in Deo vt in causa, & tanquam in primario obiecto, & medio cognito: ergo vt alij, & alij effectus videantur in causa, necesse est, causam ipsam aliter, & aliter videri. Item diximus, actum illum, quo videntur Deus, & creatura, esse in sua entitate indivisibilem, ergo non potest in se recipere mutationem, quin in tota sua indivisibili entitate illam recipiat: ergo oportet, variari tam respectu Dei, quam respectu creaturarum. Nec refert, si quis opinetur, illum actum extendi ad creaturas per hoc, quod in se extensor fiat, quia necesse est etiam in ea opinione assignare aliquem gradum in Suarez: De Deo trinuno.

tensionis, quo posito manifestetur creatura in Deo, & consequenter necessarium est, posito illo gradu vel melius, vel aliter manifestari Deum, ergo cum necesse sit variata illa visione circa creaturas, variari aliquem gradum intensiōis eius, secundum illum oportebit variari visionem circa Deum.

Vnde obiter colligitur tertio, cæteris paribus, eo perfectius videre Deum, quo plures, vel meliores creature videntur in Deo. Non quia hæc sit ratio à priori melius videndi Deum, sed potius quia à posteriori, & ab effectu colligimus eo causam perfectius videri, quo plura, & meliora in eo videntur, cæteris paribus, quia hoc est signum, virtutem eius perfectius penetrari, & cognosci. Vnde consequenter fit, ad huiusmodi visionem perfectius lumen requiri, quia actus secundus correspondet primo: Nec censio necessarium distinguere, vt quidam faciunt, de pluribus speciebus creaturarum, vel de pluribus individujs, nec de pluribus substantijs, aut accidentibus, quia quacūque ratione plura simul in Deo videantur ex possibilibus, si cætera paria sint, necesse est, visionem Dei esse meliorem, quia re vera virtus & potentia eius perfectius cognoscitur.

24. *Tertium corollarium.*

CAPVT XXVII.

An in Deo viso videri possint creature secundum suam existentiam actualem.

Diximus de rebus possibilibus, dicendum superest de rebus aliquando futuris: & prius dicemus, quid in hoc sit necessarium, vel possibile: postea vero quid de facto contingat.

Prima ergo opinio fuit, quam refert Diuus Tho. q. 26. de veritate artic. 4. & Durand. in 3. d. 14. q. 2. & in 4. d. 49. quæst. 3. Omnes Beatos videntes Deum necessario videre omnia, quæ aliquando fuerunt, vel futura sunt, vnde fit, omnes videre omnia quæ Deus seiscientia visionis. Quæ opinio potuit occasionem fumere ex illo Gregorij. 2. Moral. capite 2. Quid non vident, qui videntem omnia vident? Item quia scriptura sacra ita videtur loqui de sanctis Angelis, ac si omnia sint præsentia eorum visioni. Vt est illud primæ ad Timotheum 5. Testificor coram Deo, & electis Angelis. & illud 1. ad Corinth. 11. Oportet mulieres velamen habere super caput suum propter Angelos. Sed hæc valde infirma sunt. Oportet etiam vt hæc opinio supponat, viso Deo necessario videre in illo omnes creaturas posibles, quia, nisi hoc supponatur, nulla potest reddi ratio, ob quam necessario videantur omnes creature factæ. Quia illa, (absolute loquendo) non habent maiorem connexionem cum omnipotentia Dei, quam posibles, vt per se constat: voluntas vero libera, quæ ad has potius, quam ad alias creaturas terminata est, non necessario videtur, vt ostendimus: ergo necessario supponendum est in hac sententia illud fundamentum. Cui addendum est aliud, scilicet, visa aliqua creatura in Deo sub esse possibili, necessario videri quoad existentiam actualem, si illam de facto habitura est. Et hoc à simili suaderi potest: quia Deus per scientiam suam omnino eandem, & immutatam, qua videt res posibles, necessario videt futura, si futura sunt, ergo idem credendum est de visione beatifica. Probatur consequentia, quia illa visio beata est eminentissima participatio scientiæ diuinæ, & mensuratur æternitate, & est suo modo inuariabilis, ergo mirum non est, quod participet illam perfectionem.

Hanc vero sententiam damnant, vt hæreticam, Moderni (quod nec Diuus Thomas, nec Durandus fecerunt) quia videtur repugnare scripturis, in quibus sanctis Angelis tribuitur ignorantia aliquid rerum, vel futurarum, vel existentium, si autem perperam in verbo omnia viderent, nihil ignorarent. Antecessores

2. *Opinio.*

Gregorij

1. Tim. 5. 2. Cor. 11.

3. *Hæreticam.*

Moderni, sed perperam.

Handwritten notes on the right margin, including "D.V." and other illegible scribbles.

Math. 24. *Sicut* 72.

Ambros.

Psal. 13. *Dionys.*

Ephes. 3.

4. *Explicatur sacrarum litterarum testimonia promissa.*

dens probatur primo, quia de fide est, Angelos ignorare diem iudicij, Math. 24. De illa die nemo scit, neque Angeli. Secundo, quia Isai. 72. Sancti Angeli, interrogant, Quis est iste qui venit de Edom? Ignorabant ergo id, quod interrogabant. Sicque intelligit Ambr. libr. de instit. Virg. & libr. de mysterijs cap. 7. coniungens cum illis verbis illa Psalmi 23. Quis est iste Rex gloria? Ex quibus etiam Dionysius c. 7. de coelesti Hierarch. collegit, inferiores Angelos sanctos doceri & illuminari a superioribus. Tertio ex illo ad Ephes. 3. Vt innotescat principibus, & potestatis per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Ergo Angeli per Ecclesiam multa de diuinis mysterijs discunt, quae prius ignorabant.

Hae vero testimonia sunt probabilia argumenta, non tamen, quae sufficiant ad certam fidem faciendam, cum res ab Ecclesia definita non sit: Nam quod ad primum attinet, non est de fide Angelos sanctos ignorare diem iudicij, sicut enim in dicto loco dicitur, Neg. Angeli, ita etiam dicitur, Neg. Filii. Ergo sicut hoc explicatur, quod Filius nescit ad dicendum, vel quod nescit, a se, sed a Patre, vel quod nescit scientia humana, & naturalis: ita posset quis sine errore de Angelis explicare, vt latius in 3. p. q. 10. art. 2. dixi. Testimonium autem Isai. & Psalmi minus est efficax, quia multi intelligunt, non esse Angelos, qui loquuntur ibi, sed Prophetam ipsum, qui vsus est illo loquendi genere, vt Christi triumphum altiori modo explicaret, & amplificaret, vt ait Tertul. li. 4. contra Mar. c. 40. Deinde licet demus Angelos esse, qui interrogant, & respondent, non tamen necesse est, vt propter ignorantiam interrogent, sed ex admiratione, vt ait Origenes in Mat. & tom. 9. in Ioannem, vel ex abundantia gaudij, vt significauit Aug. serm. 188. de tempore. Non est autem necesse, vt admiratio procedat ex ignorantia, potest enim oriri ex nouo genere experimentalis cognitionis, vt in Christo Domino constat. Adde, materiam illius interrogationis tale fuisse, vt non videatur potuisse ab Angelis ignorari. Recte nesciebant, quis esset Christus, & quod propter redemptionem hominum passus esset: nam propterea in nocte Natiuitatis ipsi canebant gloriam Deo, & annunciabant pacem hominibus. Denique locus ille ad Eph. 3. non ostendit ignorantiam in Angelis, tum quia potest recte intelligi de scientia experimentalis, seu effectus in se ipso, sicut intelligitur illud 1. ad Tim. 3. Magna est pietatis Sacramentum quod apparuit Angelis. Tum etiam quia possunt illa verba explicari, non de bonis, sed de malis Angelis, qui vel inuiti mysteria Christi credunt, per ea, quae in Ecclesia fieri vident, vt exponunt Ambros. ibi, & August. in libro quaest. noni & veteris testamenti, q. 111.

5. *Non omnes Beati vident in Deo omnia futura sonit-gassa*

Quamuis autem haec testimonia non omnino conuincant, nihilominus verum est & satis certum, non omnes Beatos videre in Deo omnia futura contingentia, neque omnes omnium cordium cogitationes, neque omnia quae Deus de rebus omnibus facere disposuit. Vnde sit consequens, non necessario videre omnes beatos in verbo omnium rerum existentias, quia illi illud esset necessarium, omnibus de facto conueniret. Illud ergo primum, scilicet, quod de facto non omnia videant, suaderi potest ex communi modo loquendi sacrae Scripturae, in qua legimus sepe, quosdam sanctos Angelos alios instruere de rebus faciendis, quod supponere videtur, eos non omnia scire. Vt Apoc. 7. Angelus clamauit magna voce ad quatuor Angulos: Nolite nocere terra, mari, neque arboribus, quousque signemus seruos Dei, Dan. 10. Vnus Angelus resistit alteri, quod omnes exponunt, quia vnusquisque deprecabatur pro populo suo, ignorans, quid Deus facere disposuisset. Praeterea non est dubium, quin haec sit sententia Dionysij, & aliorum Patrum, qui hinc colligunt, Angelos de nouo illuminari, quod non esset necessarium, si omnia viderent in verbo, sicut Christi anima nullam notam illuminationem, vel reuelationem suscipit, quia omnia vi-

det. Vnde etiam sumitur argumentum: nam Theologi hoc tribuunt animae Christi vt ingulare, quod videat in verbo omnia, quae verbum videt scientia visionis, non est ergo tam facile ad omnes alios sanctos extendendum. Denique nulla ratio afferri potest huius necessitatis, quia ostensum est, non necessario videri omnia futura: etiam sub esse possibile, quia licet futura sint, ex se non habent maiorem connexionem cum Omnipotentia Dei, voluntas autem Dei libera, non necessario videtur. An vero cognita in Verbo aliqua creatura, quae aliquando futura est, necessario cognoscatur existentia eius, dicemus statim.

Secunda ergo opinio praecedenti omnino contraria negat posse videri in Verbo creaturas, vt existentes. Quam opinionem tenent Nominales, Ocham. in 4. quaestione 13. quem sequitur Gabriel in 3. distinct. 14. item supplement. Gabriel. in 4. distinct. 49. dicit, intuitiuam visionem intellegualem creaturae in Verbo esse eiusdem speciei, cum intuitiuam visionem proprio genere, quod est dicere, illam non esse in verbo proprie, & formaliter, sed casualiter tantum. Durand. etiam licet admittat cognitionem creaturarum in Verbo secundum esse essentiae, negat esse possibile secundum esse existentiae, vt patet in 4. distinct. 49. quaest. 2. Quia cognitio existentiae creaturae est per visionem intuitiuam illius, est autem contraria rationem visionis intuitiuam, quod fiat per aliud medium cognitum, sed fieri debet immediate in re visa. Idemque sentit Henr. Quodlib. 7. quaest. 5. Potest que fundari hoc modo opinio. Quia creatura videtur in Verbo vt in causa, vt dictum est, sed in Deo vt in causa non possunt videri creaturae vt actu existentes, vel futurae, sed tantum subesse possibili ergo. Probatur minor, quia in causa duo possunt considerari, vnum virtus causa, alterum actualis causalitas eius. In virtute ergo causa, seu in omnipotentia Dei non possunt videri creaturae existentes, quia, vt sic, non habent necessariam connexionem cum omnipotentia, nam si Deus nihil facere decteuisset, posset videri omnipotentia Dei, nulla creatura visa, & existente. At in vniuersum ex nulla causa, quantumuis cognoscatur eius virtus, potest colligi existentia effectus, nisi illa causa sit necessario agens, & cognoscatur applicata cum omnibus conditionibus requisitis ad operandum. At vero causalitas omnipotentiae Dei non est in Deo, sed est actio transiens, ergo vt exercita, & in actu posita, non potest cognosci in Deo, sed tantum in se, quia in Deo semper representatur solum vt possibilis.

Dici vero potest, actionem illam vt exercitam, vel exercendam, & terminum eius, vt futurum, cognosci in voluntate Dei, & libera eius determinatione, per hanc enim determinatur potentia ad operandum, & illa voluntas non est actio ad extra, sed potius principium eius, seu conditio necessaria ex parte Dei, vt actio ad extra fluat ex omnipotentia eius, qua conditio, seu determinatione voluntatis posita, necessario fluit actio, & ideo in illa voluntate recte cognosci potest existentia effectus. Sed haec responsio habet in primis difficultates omnes supra tactas de cognitione determinationis liberae voluntatis Dei, & praeterea, quia illius cognitio quodammodo pendet ex cognitione effectus, vel faltem necessario habet illam coniunctam: vnde non magis videtur cognosci effectus ex illa voluntate, quam voluntas in effectu. Deinde, quia cognitio effectus in voluntate, licet possit dici cognitio existentiae futurae effectus, tamen illa non est cognitio proprie intuitiuam, sed potius abstractiuam, quia vt sic, non terminatur ad rem, quatenus in se existit, ita vt ex directa, & praecisa tendentia ad eam videatur existentia eius.

Vltimo, quod difficilius est, quia non omnes res, quae

6. *Opinio Ocham. Gabriel. Supplementum Gab.*

Henr. Furdamen-

7.

8.

quæ aliquando habent existentiam, possunt illo modo cognosci in determinatione diuinæ voluntatis, vt actus liberi prauis, quos diuina voluntas non absolute præfinit, & omnes effectus, qui ab illis pendunt. Nam circa hos actus non habet Deus absolutam voluntatem efficiendi illos ante præscientiam illorum, sed habet voluntatem permittendi illos, & voluntatem concurrenti ad illos cum voluntate creata simul se determinante. Vnde quod talis effectus sit futurus, non solum pendet ex illa voluntate, & concursu Dei, sed etiam ex influxu voluntatis liberæ, quæ non determinatur ad illum præstandum per solam diuinam voluntatem, ergo vt effectus cognoscatur futurus, necesse est aliunde cognoscere, quod voluntas creata simul est determinanda ad illum effectum, hoc autem non cognoscitur in sola diuina voluntate, ergo ille effectus vt futurus, non potest in Deo tanquam in causa cognosci, imo neq; in illa causa cognosci potest, sed in se ipso.

9. Explicatur etiam hæc difficultas, nam ita philosophandum est de visione Beatorum, sicut de scientia Dei, saltem secundum quandam analogiam, & participationem, quia hæc visio est eminentissima participatio illius scientiæ, quam Deus de se habet. Sed Deus quatenus intelligitur habere scientiam intuitiuam creaturarum, non intelligitur videre creaturas in se tanquam in causa, sed in se ipsis immediate intuendo varietates per se cognoscibiles: quia ante hanc scientiam visionis intelligitur Deus habere scientiam comprehensionis sui ipsius, vt esse potest causa omnium, & vt sic, illa scientia non est intuitiuam futurorum. Tamen quia infinitæ perfectionis est per se ipsam (nostro modo loquendi) extenditur ad intuenda obiecta existentia in aliqua differentia temporis, supposito quod debeant existerre. Ergo similiter Beatus non potest videre in verbo, vt in causa, existentias rerum, sed debet illas intueri in se ipsis quali per quandam extensionem. Vnde vltimus necesse est, vt intercedat differentia inter hanc visionem & scientiam Dei, quod diuina scientia, quæ est infinita per se ipsam omnino, & sine vlla additione intelligitur terminari ad hæc obiecta. At vero visio creata, cum sit limitata, & finita, non potest extendi, & terminari ad hæc obiecta sine additione alicuius perfectionis: hæc autem additio non potest fieri in eodem actu, nec per modum extensionis, vt supra probatum est, nec per modum intentionis, quia illa visio non potest intendi, nisi per ordinem ad Deum, quem respicit, vt primarium obiectum: hæc autem additio non fit in ordine ad Deum, sed immediate in ordine ad creaturam visam. Ergo necesse est, vt hæc intuitio creaturæ existentis fiat per nouum actum distinctum a visione, qua videtur Deus, ita tamen vt ab illa visione deriuetur aliquo modo, & ideo dicatur esse in Verbo, non proprie, & formaliter, sed causaliter.

10. Nihilominus non est recedendum a sententia D. Thom. & communi. Vnde dico, Beatos, & posse, & de facto videre creaturas in Verbo, non tantum vt possibiles, sed etiam vt existentes, vel futuras in aliqua differentia temporis. Sic D. Thom. 3. p. quæst. 12. art. 8. 9. & 10. Quem sequuntur omnes eius discipuli, & alij auctores citati præcedenti cap. (exceptis Durand. & Henr.) Sumiturque ex August. supposita sententia eius supra tractata. Quando enim dicit, Angelos videre in verbo creaturas: non loquitur de possibili- bus, sed de factis. Hoc præterea supponunt, qui docent (vt cap. seq. videbimus) videre Beatos mysteria fidei in Verbo, loquuntur enim de mysterijs factis, non enim credimus, tantum posse hæc Deum facere, sed fecisse, hoc ergo etiam videbimus, igitur videbimus existentias talium rerum. Alia etiam, quæ ex Bern. & Conc. Senon. supra adduximus ad hoc confirmandum valent. Addere item possumus Laurent. Iulian. sermone de omnibus sanctis, qui ait, Beatos Suarez: De Deo trinuno.

videre clare pericula, in quibus nos versamur. Iulianus etiam, Toletanus tractans illa verba Matth. 18. Angeli eorum semper vident &c. dicit: Cum Angeli huc veniunt ad nos custodiendos, non separari a visione Dei, Quia si aspectum conditoris amitterent, nec scientes erigere, nec ignorantibus vera nunciare potuissent. Supponit ergo in Deo videre ea, quæ annunciant. Dionys. etiam sæpe significat, superiores Angelos illuminare inferiores de his, quæ in verbo vident. Citari solent Nazianz. orat. 11. 18. 20. & 22. Cyprian. lib. de Mortalitate. Terrul. lib. de Monog. ca. 10. Quibus locis docent. Beatos res nostras curare, & videre, sed illi facile possunt explicari de reuelatione facta extra visionem verbi. Denique de anima Christi omnes docent, videre in Verbo omnia, quæ Deus scientia visionis. Quod negare nec pium esset, nec prudens, aut probabile, at vero si non videat ipse per actu beatifico, dici non potest cum fundamento quod simul omnia videat, nec facile intelligi poterit, quomodo successe omnia illa exhauriat, cum sint infinita: oportet ergo fateri, in Verbo videre simul vno actu res infinitas.

Matth. 18.

Dionys.

Nazianz.
Cyprian.
Terrul.

11. Ratione tandem solum probari hoc potest, quia non implicat contradictionem, nulla enim ostendi potest, vt patebit explicando aliquo modo, & respondendo factis obiectionibus. Deinde, quia per se verisimile est, Deum posse per aliquam creatam scientiam per se infusam manifestare huiusmodi res secundum existentias suas, & multi probabiliter existimant Christi animam per scientiam infusam cognouisse euidenter futura contingentia in se ipsis: ergo multo magis hoc fieri poterit per scientiam beatam, quæ est altioris ordinis, per quam perfectiori modo scientia, & æternitas Dei participatur. Præterea sic explicatur: Nam Deus in seipso creaturas continet, & perfectissimo modo illas comprehendit, non solum essentias, & virtutes earum cognoscendo, sed etiam causalitates, & omnes determinationes earum, quæ vel futura sunt, vel futura essent, si tales creaturæ fierent: aut si tali modo operari permitterentur: ergo simili modo potest Deus communicare intellectui creato talem, tamq; perfectam visionem creaturarum in Deo, vt per eam videantur creaturæ cum omnibus virtutibus, causalitatibus, ac determinationibus earum. Qui tota difficultas, quæ potest esse in hac scientia creata, fere reperitur in increata, & nulla est aperta repugnantia in huiusmodi participatione.

12. Vnde non est necesse huiusmodi existentiam, vel futuritionem effectus creati videri proprie, & immediate in virtute aut in voluntate diuina, tãquam in causa potente operari, vel actu operante: contra hoc enim recte procedunt difficultates positæ, quæ eodem modo vrgent in scientia increata Dei: satis ergo est, quod creaturæ ipse simpliciter cognoscantur in Deo tanquam in causa, & quod illa scientia propter proximam perfectionem suam consequenter extendatur ad intuendum in creatura quicquid in ea esse potest, vel aliquando futurum est, vt in vltima obiectione circa secundam opinionem sufficienter explicatum est.

13. Vt vero illi obiectioni respondeamus (aliæ enim ex dictis expeditæ sunt) quæri potest, an hæc perfectio conueniat omni visioni beatificæ, ita vt omnis creatura, quæ per quamcumq; visionem beatam vt possibilis videtur, videatur etiam vt existens, si futura est, vel vt operans, si est operatura. Vnde consequenter oportet exponere, ad satisfaciendum difficultati supra positæ, per quid extendatur visio ad huiusmodi representationem, si id non habet præcise ex hoc, quod visio est. Et in vtroq; videri potest hæc necessario esse coniuncta in visione, & ideo nullam extensionem, vel additionem in visione necessariam esse. Et potest à simili declarari, nam Angelus eodem lumine,

Handwritten notes in red ink on the right margin, including the letters 'D.V.' and other illegible characters.

14. *Responsum.*

lumine, quo rem singularem cognoscit possibilem, etiam videt existentem, quando existit. Nihilominus probabilius videtur, non sequi necessario vnum ex alio, ita vt licet res aliqua sit aliquando habitura existentiam, possit in verbo videri quo ad essentiam, non videndo, quod futura sit. In quo cum Durando, & Henrico sentio. Et ratio est, quia sine dubio perfectior est visio, qua cognoscitur creatura in Deo intuitiue, & vt existens, quam si videatur tantum vt possibilem, etiam si supponamus, illam creaturam habituram esse existentiam. Maioris item virtutis est cognoscere de voluntate creata, quid futura sit, quam cognoscere tantum, quid possit facere, ergo idem est de visione Dei, ergo non est necesse, vt omnis visio creata, quae minorem perfectionem habet, habeat etiam maiorem, cum illa visio limitata sit, & possit recipere magis, & minus. Praeterea de ipsamet voluntate diuina supra diximus, non esse necessarium, vt Beatus videat, quid Deus decreuerit, quamuis facillime videat, quid Deus possit velle, ergo idem est proportionaliter de voluntate creata visa in Deo. Tandem quia alias possunt inferri incommoda multa, vt quod omnes Beati videant vel vitam circulationem totis futuram, atque ita diem iudicii, vel omnia futura contingentia earum saltem rerum, quas possibilem esse cognoscunt, quae non sunt facile admittenda.

15. *Conclusio.*

Vnde vterius dicendum est, visionem Dei, per quam videntur illa duo, esse distinctam ab ea qua videtur alterum tantum, & priorem sine dubio esse magis perfectam: & consequenter esse talem, vt illa posita cum sua perfectione necessario haec omnia videantur. Quia, vt saepe dictum est, visio naturaliter representat, & per modum causae formalis, quicquid representare potest, siue primario, siue secundario, & ideo necessario habet hunc effectum, si talis visio actu existit, & intellectum informat: Cum vero peritur, quid sit haec perfectio, quam addit talis visio supra aliam, dicendum est, non esse partialem aliquam entitatem per modum extensionis: quia non est talis compositio in illa visione, nec esse solam intentionem, quia haec sola non causet quasi extensionem in obiecto, sed esse ipsamet indiuiduam entitatem visionis, quia scilicet vna est perfectior altera, & ideo ex se sufficiens ad manifestandum perfectius Deum, & creaturas in Deo, & consequenter ad comprehendendum melius aliquas creaturas, vel virtutes & determinationes, aut existentias earum, vt in praecedenti cap. latius dictum est.

16.

Atque hinc colligitur responso ad vltimam interrogationem, quae hic fieri potest, an scilicet, visio beata, per quam videntur creaturae existentes, simul, & a principio representet omnes, etiam antequam fiant: vel solum quando fiunt, & existunt. Scotus enim, & nonnulli ex Thomistis hunc posteriorem modum amplectuntur, propter quandam difficultatem, quam attingemus cap. seq. & D. Thom. 1. part. quaestione 59. art. 8. dicit, Beatos videre omnes res, quando sunt praesentes. Et quidam ex his auctoribus dicunt, hoc fieri sine vlla mutatione in illa visione, per solam mutationem obiectorum. Quod videtur sentire Ferrar. 3. contra Gentes, capite 59. Et in eadem sententia plane sunt Bonauentura in 3. d. 14. articulo 2. q. 3. Scot. qu. 2. §. vlt. Marf. 3. p. 10. art. 2. 3. p. illius. Alius vero modus esse potest, non esse inconueniens admittere talem mutationem in visione Dei, quae sit circa creaturas, & non circa Deum, quia hoc non repugnat beatitudini.

17. *Vera opinio D. Thom.*

Sed contraria sententia est sine dubio vera, & D. Thomae, qui vbique asserit, in scientia beata omnia simul videri, 1. p. q. 12. art. 9. & 10. & 22. q. 83. art. 4. ad 2. & 3. part. q. 10. art. 2. & in 4. d. 45. q. 3. articulo 1. vbi idem sentit Capreol. q. 1. & Palud. q. 2. Vnde addit ipse D. Thom. q. 8. de verit. art. 12. respectu illius visionis perinde esse, quod res sit facta, vel futura, &

Scotus, D. Thom. Bonauent. Scotus. Marf.

Capreol. Palud. D. Thom.

ex hoc principio docuit 1. p. q. 10. articulo 7. ad 1. visionem beatam mensurari aeternitate participata. Quia nimirum illa visio omnino inuariabilis est. Quod etiam expresse docuit Aug. lib. 12. Confes. cap. 11. & 3. Estque valde consentaneum illi visioni, vt beatitudo vltima est, & vltimus terminus meritum, quae immutabilia erunt. Item quia lumen gloriae incorruptibile est, & supra est ostensum naturali necessitate prodire in actum sibi adaequat, & proportionatum. Hinc ergo, vt opinor, aperte concluditur visionem illam nec in obiecto admittere successione, quia illa successio non posset fieri sine mutatione aliqua in ipsa visione. Quia non potest fieri mutatio in effectu formali, quin fiat in forma. Praeterea in visione illa non potest fieri mutatio circa creaturam, quin fiat circa Deum, cum perfectio visionis proveniat ex modo, quo creatura videtur in Deo. Imo, cum dictum sit, haec perfectionem conuenire tali visioni ratione suae indiuisibilis entitatis, non potest in ea intelligi talis mutatio, nisi facta mutatione in tota visione.

Vt ergo illa visio sit immutabilis, vt re vera est, oportet vt quicquid per illam videri potest in aliqua differentia temporis, a principio beatitudinis videatur. Neque hoc habet nouam difficultatem, neque inconueniens vllum, quia rationes factae probant hoc esse possibile, quod possibile est, etiam maxime decens, & consentaneum beatitudini est. Vbi quicquid ergo D. Thom. docet vel Angelis, vel animabus beatis reuelare Deum aliquid nouum, intelligit de reuelatione extra Verbum, nam cum non videant omnes omnia, vt sequitur, dicimus, capaces sunt reuelationum, & illuminationum circa multa contingentia, sed illae reuelationes extra visionem beatam sunt. Vnde Nominales, cum neget beatos videre haec contingentia formaliter in Verbo, consequenter dicunt, successiue ea videre, causaliter in verbo. Tamen quia inconueniens est de Christi anima ita sentire, & de omnibus Beatis quo ad ea, quae ad suum statum pertinent, ideo melius dicitur haec, quae ad statum pertinent, simul videri, alia successiue, & extra Verbum.

CAPVT XXVIII

Quae res de facto videantur a Beatis in Deo.

Diximus posse beatos videre in Verbo, tum res possibilem, tum etiam existentes, & obiter significauimus videre aliquas, non tamen omnes. Hinc ergo oritur difficultas praesentis quaestionis, quae nimirum regula seruanda sit ad iudicandum, quid videant, & quid non videant: De qua re multa dicunt Moderni. Ego tamen breuiter expediam rem, quia est valde incerta. Ad tria vero capita possumus omnia reuocari: primum continet mysteria fidei, & res omnes supernaturales: secundum res naturales: tertium actus liberos, & contingentes creaturarum, tam praesentes quam futuros.

Circa primum dicendum est, Beatos videre in Verbo mysteria fidei, quae in via crediderunt. Hanc assertionem aliqui putant ita certam, vt contraria sit erronea, vel, vt minimum parum tuta, & parum consentanea fidei. Probat ex Paulo 1. ad Corin. 13. di. 1. Cor. 13. cente, Ex parte cognoscimus, cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: Quibus verbis significat, videre beatos in Verbo omnia, quae in hac vita credunt, quod esse non posset, nisi in Verbo viderent creaturas, quia multa mysteria credita, creata sunt. Confirmatur, quia si haec mysteria non vident, nullam creaturam in Verbo vident, ergo non esset vnus beatorum alio, quod est erroneum. Patet sequela, quia non alia ratione potest vnus alio esse beatorum, nisi quia plura vider in Verbo. Sed haec posterior coniectura leuis est, quia inessentialis essentialis beatitudinis non est nisi in videndo ipso

Angust.

D. Thom.

Nominal.

17

2.

1. Cor. 13.

ipso